

## II. FRAGMENTA ANTHROPOLOGICA.

Cic. Fin. V. 12. Videndum est, — quae sit hominis natura.—Atqui perspicuum est, hominem e corpore animoque constare, quum primae sunt animi partes, secundae corporis. Deinde id quoque videmus, et ita figuratum corpus, ut excellat aliis, animumque ita constitutum, ut et sensibus instructus sit, et habeat praestantiam mentis, cui tota hominis natura pareat, in qua sit mirabilis quaedam vis rationis et cognitionis, et scientiae, virtutumque omnium. Nam quae corporis sunt, ea nec auctoritatem cum animi partibus comparandam, cognitionem habent faciliorem. Itaque ab his ordiamur. Corporis igitur nostri partes, totaque figura et forma et statura, quam apta ad naturam sit, apparet: neque est dubium, quin frons, oculi, aures et reliquae partes, quales propriae sunt hominis, intelligatur. Sed certe opus est ea valere et vigere, et naturales motus ususque habere, ut nec absit, quid eorum, nec aegrum, debilitatumve sit: id enim natura desiderat. Est etiam actio quaedam corporis, quae motus et status naturae congruentes tenet: in quibus si peccetur distortionem, et depravationem quadam, ac motu statum deformi, ut si aut manibus ingrediatur quis, aut non ante, sed retro: fugere plane se ipse, et hominem ex homine exuens naturam odisse videatur. Quamobrem etiam sessiones quaedam, et flexi fractique motus, quales protervorum hominum aut mollium esse solent, contra naturam sunt: ut, etiam si animi vitio id eveniat, tamen in corpore immutari hominis natura videatur. Itaque e contrario moderati, aequabilesque habitus, affectiones, ususque corporis, apta esse ad naturam videntur. Jam vero animus non esse solum, sed etiam cujusdam modi debet esse, ut et omnes partes suas habeat incolumes, et de virtutibus nulla desit. Atqui in sensibus est sua cujusque virtus, ut ne quid impediatur, quo minus suo sensus quisque munere fungatur in iis rebus celeriter expediteque percipiendis, quae subjectae sunt sensibus.